

VERS. 13.—SED TRIBUM UNAM DABO FILIO TUO. Certum est ex duodecim tribubus decem à Davidicâ domo recessisse, et duce Jeroboam constituisse regnum novum Israel, duas tamen stetisse in antiquâ religione ac fide, quæ regnum constituerunt Juda, quæque neque à templo, neque à Davidico genere defecerunt. Hæ verò fuerunt Juda et Benjamin, quod varia Scripturæ sacræ loca testantur; 3 Regum 12, cum præcessisset solam tribum Juda adhæsisse Roboamo, statim subditur: « Venit autem Roboam Jerusalem et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin. » Et 2 Paralip. cap. 11, de Roboam dicitur: *Imperavit super Judam et Benjamin.* Et cum decem tribus dicantur sæpè à Davidis familiâ et templo separata, necesse est, ut duæ in antiquâ fide et religione permanserint.

Sed cur hoc loco una tantum tribus dicitur Salomonis filio relinquenda? Nam hoc eodem cap. v. 31, dixit Ahias propheta Jeroboam Dei nomine: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus; porro una tribus remanebit ei.* Et cap. sequente v. 20: *Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.* Et 4 Reg. cap. 17: *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos à conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo.* Alii aliter sentiunt conanturque hunc nodum, qui non parum impeditus est, dissolvere; mihi illud placet, quod visum est super Zachariam ad illud cap. 2, v. 7: *O Sion, fuge.* Notum est ex lib. Judic. cap. 20 et 21, tribum Benjamin sic fuisse concisam, ut ex eâ sexcenti tantum viri relictii fuerint, conjurata in illius exitium totius Israelitici populi multitudine, absumptis omnibus civitatibus ac viculis incendio, quibus ad illum usque rerum articulum abundabat. Quare, cum tribus aliæ et civibus abundarent et urbibus, hæc verò his omnibus fuerit spoliata, et propter flagitium illud immane haberetur ignobilis, nullo jam communi hominum existimatione habebatur in numero. Quocirca sub illud tempus, quo hæc scripta sunt, sic audiebat illa tribus malè, sic censebatur inter alias ignobiles, ut eo se nomine Saül 1 Regum 9, regno se judicaret indignum. *Numquid, inquit, non filius Jemini ego sum (id est, Benjaminita) de minimâ tribu Israel? etc. Quare ergo locutus es mihi ser-*

*ejus extendam, Datam illi fidem meam de te liberare volo, quanquam indignum te præbuisi, in quem beneficia mea ulterius conferam.* (Calmet.)

*monem istum?* Hinc existimo exiguam illam tunc et obscuram tribum vulgo Hebræorum amisisse nomen, et sumpsisse à nobilissimâ tribu, cui se propter vicinitatem adjunxerat, et cui templum, et civitas ipsa Jerusalem regia, quo tempore ista contigerunt, fuere communia, ut pluribus ostendimus ad proximè citatum Zachariæ locum. Et licet tempore Salomonis tribus illa olim propè exstincta frequens esset, non civibus solum, sed etiam urbibus; quia tamen antea eò redacta est, ut tribus dici non debuerit, cum cognatis aliis tribubus comparata, retinebat antiquum nomen. Quod in aliis rebus, etiam mutato priori statu, fieri videmus, vocabaturque eodem nomine quo alia copiosior nobiliorque familia, à quâ videbatur in idem genus et nomen adoptata. Neque id proprium tribui Benjamin, ut in suâ tenuitate nomen acciperet à posteriori tribu, sed commune cum aliis. Nam cum ex aliis quoque tribubus plurimi sese adjungerent ad tribum Juda ante captivitatem per Assyrios, et cum eadem tribu plurimi quoque ab exilio rediissent, ut pluribus ostendimus in nostris Commentariis in Oseam, ad illud, cap. 1, v. 11: *Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter et ponent sibi met caput unum.* Omnes tamen relicto gentilicio nomine, vocati sunt Judæi.

VERS. 14.—SUSCITAVIT AUTEM DOMINUS ADVERSARIUM SALOMONI ADAD IDUMÆUM (1). Historia

(1) Adad Idumæus, de quo hic, adolescens erat è regio Idumæorum genere, qui in Ægyptum ab armis Davidis, subactâ Idumæâ, per fugerat. Cum David, duce copiarum Abisai, ingentem victoriam retulisset, cæsis decem millibus Idumæorum, misit eò Joabum, mares omnes Idumæos trucidare jussum. Adad discrimen evasit, subductus in Ægyptum; cum autem amorem regis illius sibi conciliasset, et uxorem ibi duxit, et sedem fixit. Sed post Davidis et Joabi mortem, is Idumæam repetens, inter primos auctores turbarum adversus Salomonem, fuit. Quâ ratione turbas cære inceperit, accuratè non tradit Scriptura; se verisimillimum est, virum hunc avitæ regioni restitutum sub exordium regni Salomonis, quietum tandiù mansisse, quamdiù Salomon invisum se immodicis vectigalibus populo non reddidit, neque senio et idololatriâ in omnium contemptum venit. Tunc Adad conspiratione inter Idumæos excitatâ, jugum Hebræorum excutere statuit. Sed res illi pro voto cessisse non videtur, cum Idumæi subditi regibus Juda diù etiam post Salomonem usque ad regnum Jorami manserint.

Apud Septuaginta inferius legitimus, Adad, sive ut illi appellant, *Ader, graviter affectiss Israellem, et regnâsse in terrâ Edom.* Hæc tamen de re ne verbum quidem in textu Hebræo.

satis est ab historico sacro dilucidè proposita, sed in illâ quædam expedienda, in quibus hæere possit curiosus lector. Debellavit David Idumæos, ut habes 2 Reg. cap. 8, v. 14, illosque sibi reddidit vectigales, adhibuitque custodes, qui Idumæos in officio ac fœdere continerent. Nihil fermè aliud habemus de Idumæis à Davide subactis, neque alio loco audimus, aut de semestri morâ, quam Joab posuit in Idumæâ, dum sepeliret mortuos, et omnes ex Idumæo semine masculos occideret. Quare hic aut divinandum est, aut obscuris agendum conjecturis. Mihi non displicet quod Cajetanus hoc loco conjectat, insurrexisse videlicet Idumæos in custodes illos, quos David eorum regioni præposuerat, et cum superiores essent numero, eos interemisse. Tunc autem reversum esse Joab, ut sepulturæ mandaret occisos, et ne

Tradit Josephus, Aderum, cum domum redire cuperet, vix audito Davidis ac Joabi obitu, prohibitum fuisse à sacero suo Pharaone: sed diù post, rebus Salomonis in deterius vergentibus, quod ipse in crimen ruens abdicatus fuisset à Deo, Aderum institisse iterum apud Pharaonem, ut copia sibi daretur redeundi, quam denique ab illo impetravit. Cum tamen, ait Josephus, nihil commovere potuisset in eâ provinciâ apertæ defectionis vi, ob ingens Hebræorum præsidium omnia occupantium, Ader lectis secum viris, qui rebus novis studebant, in Syriam profectus, socium se dedit *Razaro*, vel *Razoni*, uti appellatur in Hebræo, qui à Domino suo Adarezero deficiens, ducem se prædonum manui exhibuerat. Amicitia igitur fœdere cum illis juncto, Ader partem Syriæ occupavit, in quâ imperium adeptus, ditionem Salomonis excursionibus infestam effecit. E nostris scriptoribus quidam censent, Pharaonem pacem composuisse inter Adadam et Salomonem, ex eoque et assensum impetrâsse, ut Adad vectigali imperio in Idumæâ potiretur, sed pertæsum ejus servitutis Adadam, sub exitum regni Salomonis excusso jugo, in illum defecisse. Suspecta sunt hæc omnia, utpote nullo Scripturæ testimonio fulta; atque ignorare præstat ea quæ scire non possumus, quam fabulis et ad arbitrium confictis historioliis veritatem obruere. (Calmet.)

« Ce Razon, roi de Syrie, dit Voltaire, qui fit tant de peine à Salomon pendant tout son règne en Judée, démontre évidemment que l'auteur sacré se contredit grossièrement, quand il dit que Salomon régna de l'Euphrate à la Méditerranée. » Razon, roi tributaire dans la Syrie, depuis que David avait vaincu Adarzer, son prédécesseur, se souleva contre Salomon, après que celui-ci se fut livré à l'idolâtrie, dans un âge déjà avancé, et depuis ce temps-là, Razon ne cessa de causer de l'embarras à ce prince pendant les dernières années de son règne; s'ensuit-il de là qu'avant cette révolte Salomon ne régnaît pas paisiblement depuis l'Euphrate jusqu'à la Méditerranée? (Duclot.)

iterum aliquid molirentur hostile, sustulisse omne masculinum genus; neque minus semestri morâ in eo opere peragendo consumpsisse; eo verò tempore ereptum esse Adad Idumæi regni legitimum hæredem inimicorum ferro, et ad Ægypti regem confugisse, à quo benignè exceptus est, et talia consecutus humanitatis officia, qualia hic tradit sacer historicus. Quod videtur paulò post accidisse ab Idumæâ subjugatâ, et ab imposito militari præsidio, cum nondum ex Idumææ finibus excessisset David: id enim indicat illud: *Cum enim esset David in Idumæâ, et ascendisset Moab princeps militiæ, ad sepeliendos eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculinum in Idumæâ, etc., fugit Adad ipse.*

Rab. Salomon citatus à Lyrâ ad illud lib. 2 Reg. cap. 8: *Fecit quoque sibi David nomen, et tenet Lyra ibidem, et hoc loco clariùs, sepelisse Joab non Israelitas ab Idumæis occisos, sed Idumæos ipsos, quos Israelitæ paulò ante victores occidissent, et eam ob rem magnum à pietate Davidem consecutum esse nomen, quod hostes noluerit honore carere sepulturæ. Quod ideò mihi minus probatur, quia si hoc Israelitæ præstare voluissent Idumæis parentale officium, non illud distulissent in aliud tempus, ita ut redire debuerit Joab, ut illos sepulturæ mandaret, neque illorum gravis odor sustineri posset, neque, si Israelitarum abfuisset pietas, ipsi paterentur Idumæi contribules suos insepultos jacere, cum illud ipsa horreret natura, et ab illorum pestilenti habitu maximum toti populo parari posset exitium. Adde quòd non aptè duo ista conveniunt, et piè à Davide, et illo præcipiente, à Joab Idumæorum terræ mandari cadavera, et eodem tempore masculinam illorum sobolem aboleri. Quare illud videtur longè verisimilius, cum nondum ex Idumæorum finibus excessisset David, extinctos fuisse custodes in præsidio relictos, et statim à Joab revocatum Hebræorum exercitum, à quo recentes mortui honorem consequerentur sepulturæ, et qui relictii fuerunt ex Idumæo semine, ne quid rursus tentarent hostile, de medio tollerentur: hæc mea conjectura est. (1)*

(1) VERS. 15.—ET ASCENDISSET JOAB AD SEPELIENDUM EOS QUI FUERANT INTERFECTI. Probabile est, quod censet Cajetanus, tunc accidisse, ut præsidarii Davidis relictii in Idumæâ à se subacti, post ejus obitum cæsi sint ab Idumæis, itaque Joab ivisse eò ad illos sepeliendos, et ad vindicandam illorum necem; unde omnes Idumæorum masculos occidisse, exceptis fortè

VERS. 21. — CUMQUE AUDISSET ADAD IN ÆGYPTO DORMISSE DAVID CUM PATRIBUS SUIS, ET MORTUUM ESSE JOAB PRINCIPEM MILITIE, DIXIT PHARAONI: DIMITTE ME, UT VADAM IN TERRAM MEAM. Mansit diu apud Pharaonem Adad, sic ab eo tractatus indulgenter, ut nunquam in illo paternam humanitatem, aut providentiam requireret. Cum autem è vivis excessisse cognosceret Davidem regem, et principem militiæ Joab, quorum propter acceptam plagam, vel ipsum horrebat nomen, nullà alià ratione (ut apparet, et meditatur Abulensis, quæst. 25), adductus, nisi patriæ desiderio (cujus dulcis est memoria, his maximè, qui in illà aliquando honorem sunt experti et florentem fortunam), petiit sibi redendi facultatem à Pharaone, quam, licet ægrè ferente rege, tandem obtinuit. De Adad nihil habemus aliud, neque constat quâ in re Salomonis rationibus fuerit adversatus. Hoc videtur satis verisimile antequàm Salomon recessisset à Deo, aut molitum esse nihil Adad, aut certè in suis conatibus nullum habuisse fortunatum exitum. Neque, credo, promovisset magnum aliquid, etiamsi pacificum ante Salomonis regnum bello tentaverit, quia Idumæa, quod acceperat à Davide servile jugum, nunquam excussit, aut regem constituit usque ad tempora Joram, de quo lib. 2 Paralip. cap. 21, v. 8: *In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem.* Et iterùm v. 10: *Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda usque ad hanc diem.* Hæc è sacro atque canonico textu videntur sumi posse. Septuaginta aliquid hic habent, quod non benè cum vulgato, aut hebraico textu consentit. *Graviter, inquit, affecit Israel, et regnavit in terrâ Edom.* Unde hæc sumpserint Septuaginta non video. Suspicio hunc locum apud Septuaginta esse corruptum et ex historiâ Razon, quam in Septuaginta

paryulis, qui excipiuntur lege Deuter. 20, 14. (Corn. à Lap.)

VERS. 18. — CUM SURREXISSENT DE MADIAN, VENERUNT IN PHARAN. Adad cum suis recepit sese primò in Madian ad occidentem maris Mortui; sed minùs tutum sibi locum ratus, iter suscepit in Ægyptum, atque pertransiens Pharan, duces itineris cœpit, quibus viam monstrantibus, tandem in Ægyptum venit. Madian est ad occidentem. Pharan ad meridiem Idumææ.

TERRAM DELEGAVIT, in abimoniam, ait Josephus. Provinciam aliquam administrandam illi dedisse, censet Vatablus. Sed Diodoro Siculo auctore, scimus reges Ægypti certam quandam soli portionem in regione possedisse, de qua decernebant in aliorum commodum pro arbitrio. Prædia erant regi juris. (Calmet.)

versione non habemus (quæ, ut puto, temporum injuriâ, aut scriptorum negligentia perit) aliquid esse admixtum prorsus alienum.

VERS. 25. — SUSCITAVIT QUOQUE ET DEUS ADVERSARIUM RAZON. Historia hæc, ut modò dicebamus, non est apud Septuaginta. Quæ sanè obscura est, et variè à variis declaratur et textitur; quia sacer etiam textus ad varias patet explicationes. Hanc ego præcipuam ex omnibus amplector, quam ex parte tradidit Josephus, et ex eo Dionysius, Lyra et Abulensis. Et primùm dicam quid mihi magis videatur consentaneum textui, deinde quam de reliquo communem habeam cum aliis sententiam. Existimo primùm quo tempore David lib. 2 Regum cap. 8, gravi vulnere concidit Adazerer regem Soba, fugisse Razon illius servum, et in ipso congressu deseruisse dominum suum, vel ut privatas ulcisceretur injurias, vel quia alias ob causas, quæ variæ sunt atque frequentes inter servos et dominos, in dominum erat graviter animatus. Quare nactus opportunitatem, in quâ suum dolorem consolari, aut jam ante concepto animi furori satisfacere potuit, quo tempore cum hoste congregandum fuit, illum in mediis periculis perfidiosè deseruit. Et adhuc studio vindictæ ad ulteriora progressus, latrones sibi adduxit, audax hominum genus, et laboris patiens, quorum ipse dux factus sub illud tempus quo malè à Davide domini sui jactabatur fortuna, illum insectatus est. Hoc videtur admittere, imò et expetere textus ipse, qui ad alias cogitationes et sensus non admodum facilem se præbet. Hic ergo Razon cum illo suo latronum numeroso grege incertis vagabatur sedibus, et agendis hinc inde prædis sylvestrem et vagam vitam utcumque sustentabat. Sicut David cum sibi à Saulis offensione caveret, incertis errabat vestigiis, et sibi ac suis ex obviis, aut indagatis prædis de victu rebusque necessariis providebat. Donec Salomone turpiter lapso, et in frædâ peccatorum colluvione demerso, excitavit illum Dominus, ut hostile aliquid contra Salomonis pacem ac dignitatem auderet. Quare cum David eam Syriam, cujus caput est Damascus, sibi fecisset vectigalem, illique militarem præposuisset custodiam, quod onus etiam subit meliori Salomonis tempore, illam occupavit Razon, et illius, consentiente populo, constitutus est rex. Cumque jam, et viribus, et opibus magis esset confirmatus, Israeliticis fines turbavit et afflixit omnibus diebus Salomonis, nimirum ex quo defecit à Deo ad finem

usque vitæ. Hæc historiâ ad Scripturæ filium, ut reor, informatâ expleri puto textum, neque video quid sit à veritate alienum, vel à litterâ violenter extortum. A quâ sententiâ parùm recedunt Lyra, Dionysius, Abulensis, Cajetanus. Quod verò sequitur, etiam habet, quod explorato opus est.

VERS. 25. — ET HOC EST MALUM ADAD, ET ODIUM CONTRA ISRAEL. Hunc locum sic exponit Josephus, cui plures alii aut omninò, aut ex parte subscribunt, lib. 8, cap. 2: *«Aderus (sic à Josepho appellatur Adad) impetrato à suo rege comitatu ad Idumæam revertitur, et cum non posset gentem suam ad defectio-nem à Salomone percellere, eò quòd validis prædiis impositis in officio contineretur, nec liceret impunè res novas ibi moliri, profectus inde in Syriam se contulit, ubi cum incidisset in quemdam Razarum (sic vocat Razon) qui desciverat à Sopenæ rege Adiazaro, et eas terras cum latronum manu populabatur incursionibus, societatem cum homine iit, cujus ope occupatâ eâ parte Syriæ rex declaratus, Israelitarum ditionem crebrè irrumpendo, vivo adhuc Salomone, rapinis omnia miscbat et cædibus.»* Hæc Josephus, à quo non recedunt nisi perquam modicè illi qui supra, qui exponunt illud malum quod Razon intulit Hebræis, et illud odium, quo illos ad mortem usque Salomonis persecutus est, esse Adad. Neque enim tam sæviret Razon in Israelitas, nisi Adad illi ad eorum exitum stimulos admo-veret. Neque mihi hæc cogitatio displicet. Alii sic accipiunt, ut eodem tempore duo hostes contra Salomonem sint excitati, Razon et Adad, quod quidem verum est. Ita tenent Vatablus, Emmanuel Sâ, et in explicatione secundâ Cajetanus, Pineda in Salomone prævio lib. 7, cap. 22, et in hunc locum Mariana, qui nihil penè in eâ cogitatione differunt. In priorem ergo cogitationem magis propendo, quia minùs habet quod suppleat aut distorqueat.

VERS. 26. — JEROBOAM QUOQUE FILIUS NABATH, EPHRAËTES. Hic tertius fuit hostis, quem ex genere Israelitico ad plectendum Salomonis scelus excitavit Deus. Qui licet nullum attulerit Salomone vivente damnum rei Israeliticæ, ast sollicitum habuit Salomonem, et illius turbavit pacem, cum cavendum sibi putaret ab hoste domestico, qui omnia noverat regis consilia, cuique gravia aliquando negotia commendaverat. Neque exiguum illud supplicium videri potuit, quod oritur à metu, licet nullum

exinde sequatur incommodum. Miserum enim est plenos sollicitudinis somnos ducere, et in rebus etiam tutis insidias suspicari, neque perturbationis habere minùs in pace atque otio, quàm si esset aliquis in acie. Quàm gravis esset à metu dolor, quàm tristes angustia, habes Sapient. cap. 17, ad finem, ubi quàm miserè à metu torquerentur Ægyptii, eleganter exprimitur.

VERS. 27. — ET HÆC EST CAUSA REBELLIONIS ADVERSUS EUM, QUIA SALOMON EDIFICAVIT MELLO. Hebræi, quibus id videtur esse studio, ut nova quotidie somnient, eaque nobis pro oraculis venditent, aliam tradunt causam hujus rebellionis: dicunt enim, ut refert hic Lyra, Jeroboamum filium esse Semei, quem in regni exordio interfecit Salomon, et hunc eundem esse qui Nabath; cum autem mater quotidie paternam cædem in filii memoriam revocaret, ut eum in illius vindictam inflammaret, occasionem arripuit Jeroboam, ut, malè Salomone vexato, suum ac viduæ matris dolorem consolari posset. At unde in hanc cogitationem venerunt Hebræi? quia mater Jeroboami vidua esse dicitur, qualis tunc erat uxor Semei, si modò tunc superstes. O præclara conjectural ac si una tantum esset vidua in copioso illo Israelis populo! Neque considerantur miselli Ephraëum fuisse Jeroboam, non Benjaminitam, et magis esse notum Semei nomen quàm Nabath. Quare vocandus potius fuit Semei filius, cujus antea frequens mentio, quàm Nabath, cujus tunc primùm nomen auditum est. Et quidem si Jeroboamus filius esset Semei, hæc potius rebellionis causa adducenda fuit, quàm ædificatum esse Mello.

Sed est adhuc dubium, cur propter ædificatum Mello tantoperè fuerit indignatus Jeroboamus, ut manum levaverit contra Salomonem? Quidam non putant Jeroboamum indignatum fuisse contra Salomonem, sed Salomonem potius contra Jeroboamum, quòd ab ipso liberius reprehenderetur, quòd ædificasset Mello: reprehensiones autem licet officiosas et justas, viri potentes, et maxime tempore, quo intemperanter suis cupiditatibus indulgent, injuriæ loco ponunt. Sic Emmanuel Sâ. Sed est commune, et, ut opinor, certum, hanc offensionem et indignationem esse Jeroboam: sed quomodo ædificatio Mello et coæquatio voraginis odium in Salomonem excitaverint, obscurum est.

Josephus lib. 8, cap. 2, licet paulò obscurius, rationem tamen videtur indicare: *«Cum*

patre, inquit, orbatus adolescens adhuc à matre educaretur, Salomon, animadversà ejus generosâ indole, præfert eum fabricæ murorum, quando Hierosolymam mœnibus cingebat. Ejus operis curam tantâ solertiâ gessit, ut rex comprobata hominis industriâ præmio dignum ducens, eum Joseph tribui præficeret. Ut autem murorum ille curam suscepit, verisimile etiam est implendæ quæque voraginis suscepisse negotium, quia illud etiam publicum erat opus, et civitatis non ornamentum tantum, sed egregium fortassè munimentum. Quod indicat Josephus lib. 15, cap. 14, et colligitur non obscure ex lib. 2 Paralip. cap. 32, v. 5, ubi inter civitatis propugnacula numeratur: «Ezechias, inquit, ædificavit, agens industriâ, omnem murum, qui fuerat dissipatus, et extruxit turres de super, et forinsecus alterum murum, instauravitque Mello in civitate David, et fecit universi generis armaturam.» Nôrat igitur Jeroboamus quantum esset laboris et sumptuum positum in complendâ ædificandâque voragine. Cùm autem, ut supra diximus c. 9, v. 15, eo in loco pro filiâ Pharaonis ædificata esset ambitiosa quædam domus, quæ mille populo commoditates et usus auferebat (quia area illa non procul erat à templo, in quâ populus convenire, et ibi commodè expectare poterat sacrificii tempus), tulerunt omnes graviter ædificatam esse aream, quæ effecta fuerat ex impletâ voragine, et Ægyptiæ feminæ cum tanto civitatis incommodo datam esse sive ambitioni, sive libidini. Tuli autem hoc omnium ægerrimè Jeroboamus, tum quia homo qui publica curabat, ferebat molestè publicum opus privatæ alicujus voluptati servire. Adde quod cùm constitutus esset super tributa domus Joseph, novas quotidie querimonias audiebat eorum qui immodicis gravarentur vectigalibus, quæ exigebat rex nimis uxorius, qui res curabat magis muliebres, quàm publicas. Cùm enim septingentas haberet reginas, quas tractare debuit pro regiâ majestate delicatè ac lautè, et trecentas concubinas, quæ aliquid quotidie novum efflagitant, et nisi impetrent, injuriam sibi fieri queruntur, quibus negare nihil jam aut vellet, aut auderet homo omnino iatus, et feminarum totus alligatus imperio, multa, ut est verisimile, neque immeritò, in regis jam perversos mores jactabant, quem non tantum videbant in summâ intemperantiâ esse projectum, sed etiam usque adeò illius imperium esse tyrannicum, ut

subditorum exhauriret opes, et sanguinem exsugeret. Hinc oritur, ut omnes quorum Jeroboamus videtur esse princeps, conquesti fuerint apud Roboamum paterni loci atque majestatis hæredem, quod pater durum imposuisset jugum. Quocirca ex communi dolore justâ indignatione conceptâ aliquid secum contra Salomonem meditabatur adversum, quod non videtur Salomonem latuisse, maximè postquam Ahias Silonites diviso pallio decem illi regni partes attribuit, quando vivente Salomone fugit in Ægyptum. Fuit ergo rebellionis origo primum excitata ab oppletâ et adæquatâ voragine Mello, cui lubens præfuit Jeroboam, cùm videret aream ex vasto illo vallis profundissimæ hiatu relictam magno reipublicæ futuram esse usui, quam deinde ereptam populo, et feminæ deliciis peregrinæ attributam tulit quàm molestè. Hæc videor conjectare posse non abs re, neque parum consequenter ad textum; sed conjectare tantum, non asserere. (1)

VERS. 29. — FACTUM EST Igitur in tempore illo, ut Jeroboam egredereetur de Jerusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via. Egressus fuerat hoc tempore Jeroboamus, ut Josephus putat lib. 8, cap. 2, ut regio fisco quæstoriâ operam navaret, stipatus, ut apparet, ut tam gravem personam decebat, è ministerio forensi non exiguo atque vulgari comitatu, sicut indicat hoc loco Josephus. «Ad quam (nempe quæstoriâ provinciam) dum Hierosolymis egressus iter faceret, obviam ei fit propheta nomine Ahias Silunte oppido oriundus. Is salutatum eum paulò de viâ se duxit in rus quoddam divertens, in quo nemo alius aderat.» Hic autem propheta fuit de

(1) VERS. 28. — CONSTITUERAT EUM PRÆFECTUM SUPER TRIBUTA UNIVERSÆ DOMUS JOSEPH. Jam alibi animadvertere licuit, Vulgatam appellare sæpè tributa operas illas vectigales seu publicas, quæ regis jussu imperabantur. Hebræus ad litteram: *Præfecit eum omni oneri domus Joseph*, tribunal scilicet Ephraim et Manasse. De præfecturâ copiarum ex decem tribubus collectarum exponit Josephus. Legimus alibi Salomonem ad opera sua publica ex Israelitis neminem coegisse. Sed facilè labentibus regni sui annis, aliam agendi rationem secutus est; scimus enim, tum opus Mello defectionis causam populo præbuisse, tum Salomonem gravissimis oneribus populum oppressisse. *Ius regis* illud erat, ut subditos agrorum ac vinearum suarum culturæ, tum et aliis operibus ruris et urbis addiceret. Reges etiam non tributa quidem, sed subsidia à subditis suis exigebant. Hæc erant igitur onera Israelitarum. *Super onera hæc omnia domus Ephraim et Manasse Jeroboamus constitutus erat.* (Calmet.)

Silo, ubi aliquando fuerat tabernaculum, quæ Salomonis gesta Scripturæ mandavit, ut habes lib. 2 Paral. cap. 9, ad finem.

VERS. 30. — APPREHENDENSQUE AHAS PALLIUM SUUM NOVUM, QUO COOPERTUS ERAT SCIDIT IN DUODECIM PARTES (1). Prophetæ non solum verbis, sed etiam rebus futura portendebant, quæ eò magis inhærent animo, sicut etiam infiguntur memoriæ. Sic jussus est Oseas uxorem ducere fornicariam; sic Isaias nudus incedere; et Jeremias catenis oneratus obire civitatem; Ezechiel assumere peregrinantis habitum, in latere dormire, civitatem in latere describere à Chaldeis obsessam; et Zacharias modò sumere duas pastoris virgas, modò pastoris stulti instrumenta portare. Sic modò Ahias, ut doceat dividendum esse regnum, quod tunc primum initurus erat Roboamus, regnum, inquam, novum, pallium sumpsit novum, quo tunc primum uti coepert, illudque in tot dividit partes, quot erant in eo regno principes familiæ, et ex earum numero decem tradidit Jeroboamo, reliquas duas pro Roboami posterorumque regno reservavit. Quomodò verò una tribus relinquenda dicatur pro Davidicâ familiâ, cùm tamen duas obtinuerit, quas duæ pallii scissuræ portendebant, diximus paulò ante ad v. 15. (2)

(1) Ahias, par cette figure d'un manteau neuf qu'il coupa en douze parts, et dont il donna dix parts à Jéroboam, nous marquait peut-être la funeste division qui arrive dans une âme, lorsque du royaume de Jésus-Christ, qu'elle était auparavant, elle devient, par une idolâtrie spirituelle, dont celle de Salomon était une image, comme déchirée en autant de parts qu'il y a de passions différentes qui l'assujétissent au démon. Tant qu'elle est attachée à Dieu par la piété, elle est une, et non divisée. Mais dès le moment qu'elle se sépare de ce Dieu unique, qui la mettait à couvert sous sa protection toute-puissante, comme sous le manteau neuf du prophète, elle fait partie de ce royaume divisé, qui a pour roi le démon même, et qui, comme l'assure Jésus-Christ, ne peut subsister. C'est de cette âme qui a rejeté son Dieu, ainsi que fit Salomon, qu'il est dit dans l'Évangile, que le royaume de Dieu lui sera ôté, pour être donné à un autre qui en produira les fruits. (Sacy.)

(2) VERS. 31. — TOLLE TIBI DECEM SCISSURAS, ut per hoc cognoscas te sub Roboam è duodecim tribubus Salomonis regno sublaturum, et tibi arrogaturum decem tribus Israel, ut mox explicat Ahias.

Symbol., hæc decem scissuræ significabant regnum decem tribuum in decem familias sibi invicem succedentes, fore scindendum, ac decies dividendum, ait Rupert. Hic enim fuit ordo et successio regum Israel sive decem tribuum. Primam scissuram decem tribuum à duabus fecit Jeroboam. «Hujus filium, ait Rupertus lib. 5, cap. 4, nomine Nadab, percus-

VERS. 36. — UT REMANEAT LUCERNA DAVID SERVO MEO CUNCTIS DIEBUS CORAM ME IN JERUSALEM (1). Non ita Deus offensus fuit Salomonis

«sit Baasa. Hæc secunda Israel scissura regni est. Ejusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, regnavitque pro eo. Zambri se in palatio incidit obsidente Amri, qui et pro eo regnavit. Post hunc regnavit Achab, et post eum filius ejus Ochozias, et post eum frater ejus Joram. Sed istum occidit Jehu, regnavitque pro eo usque ad quartam generationem. Quintum ab illo percussit Sefum, regnavitque pro eo. Sed et istum percussit Manahem, regnavitque pro eo. Filium quoque hujus Phaceam percussit Phacee filius Romelæ, regnavitque pro eo. Sed et contra istum conjuravit Ozee, percussitque eum et interfecit, regnavitque pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum et transtulit Israel in Assyrios. Hæc decima fuit scissura. Nam in Jeroboam prima, in Baasa secunda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Jehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romelæ octava, in Ozee nona, in rege Assyriorum, qui divisos à Deo et David rege suo, divisit etiam loco, transferendo in Assyrios, rectè computatur decima.»

Tropol. Jeroboam primus schismaticus notat hæreticos, qui Ecclesiam suam hæresi discindunt, ac præsertim principes, qui ut regnum sui regis orthodoxi invadant, hæresim inducant ac hæreticos in auxilium vocant, uti fecit Jeroboam (idem factum vidimus in Belgio), qui idcirco regnum perdidit, uti Deus hic ei prædicendo comminatur. Hinc appositè, ait Angelomus: «Jeroboam Hebr. interpretatur, *dijudicans populum*. Nam et hæretici dijudicare populum videntur, cùm erroris sui sequacem faciunt.» Tunc enim fit illud: *Tolle tibi decem scissuras*. Sic et Rupertus lib. 5, cap. 5; Eucher., Beda et alii.

VERS. 32. — PORRO UNA TRIBUS (Juda cum Benjamin sibi associata) REMANEBIT EI, scilicet Salomoni, puta Roboam Salomonis filio et successori. (Corn. à Lap.)

(1) *Je donnerai une tribu à son fils, afin qu'il demeure toujours à mon serviteur David une lampe qui luise devant moi dans la ville de Jérusalem.* Tous les interprètes expliquent de la postérité royale et éclatante de David cette lampe dont il est parlé ici, et que Dieu témoigne vouloir toujours conserver, afin qu'elle luise devant lui dans Jérusalem. Mais cette promesse de Dieu ne paraît avoir été accomplie qu'en la personne de Jésus-Christ, puisqu'il est certain que la race de David n'a pas régné fort long-temps sur Israël, et que d'ailleurs la plupart même des rois ses descendants se sont rendus par leurs crimes très-indignes d'être regardés comme cette lampe qui devait toujours luire devant Dieu dans Jérusalem. C'a été donc proprement de Jésus-Christ, fils de David, qu'il fut dit alors qu'il devait être la lampe et la lumière de Jérusalem, c'est-à-dire, de l'Eglise. C'est lui dont le saint vieillard Siméon dit depuis que Dieu l'avait destiné pour être exposé à la vue de tous les peuples, pour être la lumière des nations et la gloire d'Israël. C'est lui enfin qui a été reconnu par toute la